



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. V. De Obligationibus Confessarii in ipsa Sacramenti administratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

que munus illi incumbat. Circa Scientiam requiritur, ad validitatem sententiae ferendae, ut sciat peccatum, de quo ferenda est sententia, sub ratione peccati, & modum, quo possit juxta Christi institutionem in hoc Sacramento remitti; unde fit, ut scire debeat formam absolutionis, intentionem debitam, & qualitatem dispositionis requisitae in poenitente, ut possit illum absolvere.

III. Quæritur autem primo; quamnam Scientia requiratur, non solum ad validam, sed etiam ad licitam hujus Sacramenti administrationem?

Respondeo cum communi apud Suar., Lug., & alios, requiri eam doctrinam, quæ satis sit ad ferendum prudens judicium in hoc Sacramento, seu ne feratur sententia, incognita causa; & ideo confessarius scire debet primo, quæ sint peccata mortalia, quæ venialia; Secundo, quamnam sint reservata, & quamnam habeant censuram annexam; Tertio, quæ circumstantiæ mutant speciem in peccatis, quæ passim occurrunt; Quarto, quando poenitens obligetur ad restitutionem; Quinto, requisita in poenitente, ut possit absolvi; Sexto, remedia peccatis opportuna.

Notant tamen communiter Doctores apud Perez; Primo, satis esse, ut confessarius intelligat ea, quæ frequentius accidunt, & de aliis sciat dubitare, ut possit in casu occurrenti vel alios, vel libros consulere; Secundo, non eandem scientiam requiri in omnibus confessariis; Nam minor scientia sufficit ad audiendas confessiones puerorum, & rusticorum, quam mercatorum, & Judicum, qui casus habent difficiles; Ac proinde in Oppidis aliquibus permittuntur Parochi, & Confessarii indocti, & rudes; quia præstat hos præficere, quam Oppidum carere illis, quibus cateroqui careret propter exiguum stipendium, &c.

IV. Ex dictis sequitur, peccare eum, qui extra casum necessitatis exponit se ad confessiones audiendas sine doctrina sufficienti. Quod si de ea dubitet, potest deponere dubium, remittendo se judicio Superioris, ut notat Vasq., Lug. ex Navar., Et eos, qui ab Ordinario examinantur non leviter, & ab examinatore citra passionem approbantur, posse dubium omne, ac timorem deponere, & se confessionibus audiendis exponere.

Sequitur etiam, peccare graviter eum, qui aut tolerat, cum non debeat, aut approbat ad confessiones audiendas Sacerdotes indoctos, & insufficientes; nisi quando poenitens ejus doctrinæ sit, qui possit incertitiam confessarii supplere.

V. Sequitur demum, quod sicut qui advertit, confessarium non percipere peccati sui gravitatem, debet illum monere, & specificare peccatum suum; ita qui advertit, confessarium non esse aptum ad judicium Sacramentale ferendum super peccatis, quæ confitentur, tenetur confessionem repetere apud doctorem.

VI. Quæritur secundo; An necessaria sit in confessario tanta scientia, ut possit statim discernere mortalia a venialibus, & dubia, quæ proponi possunt, resolvere?

Respondeo cum communi apud Suarez disp. 28. sect. 2. negative; Etenim rarissimi sunt, qui præstare id possunt; Quare satis est in rebus difficilioribus scire, dubitare, & posse dubia resolvere, consulendo aut libros, aut alios, aut poenitentem ipsum.

ARTICULUS V.

De Obligationibus Confessarii in ipsa Sacramenti administratione.

I. *Quomodo Confessarius interrogare sepe debeat Poenitentem?*

II.

- II. Quid faciat confessarius, si advertat, peccatum aliquod a pœnitente in confessione omitti sive invincibiliter, sive ex erubescencia?
- III. De quibus debeat Confessarius Pœnitentem instruere?
- IV. Quandonam teneatur ignorantiam Pœnitentis Confessarius amovere?
- V. Quid si Confessarius dubitet, an sit profutura Pœnitenti notitia veritatis?
- VI. Num possit aliquando Confessarius ad peccatum materiale pœnitentem obligare, puta, ad reddendum debitum conjugi putata?
- VII. Quandonam Confessarius monere debet pœnitentem, ut Sancta Inquisitioni denunciaret Confessarium, a quo sollicitata fuit?
- VIII. Quanam excusent a denunciatio-
ne facienda?
- IX. Num teneatur Confessarius aliquando onera pœnitentis subire?
- X. Quid faciat Confessarius, si erravit in absolvendo sive circa valorem Sacramenti, sive circa damnum tertii, sive circa materiale integritatem Confessionis?
- XI. Quandonam obligatur Confessarius audire Confessiones Pœnitentium?

EX eo, quod Confessarius Judex sit, & Medicus, sequitur, debere pœnitentem interrogare, docere, corrigere, & disponere ad absolutio-
nem; ac illum audire; Et si quando Confessarius erravit, corrigere debet errorem suum.

I. Quæritur itaque primo; An, & quomodo teneatur confessarius pœnitentem interrogare.

Respondeo cum communi apud Suarez disp. 32. sect. 3., quod si prudenter judicet confessarius, pœnitentem esse integre confessum, non teneatur illum interrogare; si tamen judicet aliquam circumstantiam omittere, nec factis explicare, vel ex ignorantia, vel

ex culpabili oblivione, vel ex reverentia, tenetur suis interrogationibus defectum integritatis supplere, & pœnitentem juvare tum circa ea, quæ dicit, tum circa ea, quæ tacet; Ratio est, tum quia hoc exigit munus Medici, & Judicis; Tum etiam, quia in cap. Omnis viriſque ſexus hæc habentur: Sit Sacerdos discretus, & cautus more periti Medici, diligenter inquirens peccatorum circumſtantias.

Hic autem advertet, quod quando confessarius prudenter judicat, pœnitentem in examinanda sua conscientia diligentiam sufficientem, & moralem adhibuisse, non tenetur illum amplius interrogare; quia ad integritatem confessionis primo loco tenetur pœnitens, & deinde in ejus defectum confessarius; Unde, si pœnitens suæ obligationi in examinanda sua conscientia satisfecit, ad nihil amplius tenetur confessarius. Præterea confessarius in interrogationibus accommodare se debet capacitati pœnitentis, nec interrogationes instituere, quæ odiosum; & grave reddant hoc Sacramentum; Et ideo inter illas causas excusantes ab integritate materiali confessionis, ea est in casu nostro, ne nimis interrogationibus confessarii supra lapsum pœnitentis odiosa, & gravis reddatur confessio, & ne nimis interrogationibus, præsertim in materia luxuriæ, mens pœnitentis, & confessarii turbetur.

II. Quod si sciat confessarius, peccatum aliud ex oblivione inculpabili a pœnitente omitti; quamvis aliqui putent, non debere illum de tali peccato interrogare, quia confessio est formaliter integra: At communis Doctorum sententia docet, quod debeat interrogare, quia confessarius, utpote Judex, debet facere, quantum in se est, ut confessio sit non solum formaliter, sed etiam materialiter integra, quod constat ex verbis cap. laudati. Si tamen pœnitens interrogatus de aliquo pec-

peccato neget se illud fecisse; regulariter loquendo credendum est illi, quod scilicet vel non fecerit, vel si fecit, jam illud sit alias confessus, vel ex errore invincibili putet se non teneri ad illud hic, & nunc confitendum. Quod si prudenter judicet confessarius poenitentem negare ex erubescencia, quam superare nolit, atque adeo ex malitia, docet Suar. disp. 32. sect. 3., & Lug. disp. 22. sect. 2., absolvendum non esse, cum sit indispositus.

Neque dicas, in iudicio debere iudicem iudicare secundum allegata, & approbata, non vero iuxta privatam scientiam; Et in iudicio Sacramentali credendum esse poenitenti, sive pro se, sive contra se loquatur. Nam hoc est verum, quando aliunde non constat confessario, poenitentem esse indispositum, ut alibi ostendimus ex propositione 60. damnata ab Innoc. XI.

III. Quæritur secundo; An teneatur confessarius poenitentem instruere, & de quibus?

Respondeo, debere confessarium, quando dubitat prudenter, an poenitens sciat, quæ necessario scire debet ad Sacramentum hoc recipiendum, praesertim si puer, vel rusticus sit, illum instruere ante absolutionem: Scire autem ille debet, non solum dari Deum remuneratorem; sed etiam mysteria Incarnationis, & Trinitatis, ita ut iis culpabiliter ignoratis, incapax sit Sacramenti, ut constat ex 64. thesi confixa ab Innoc. XI. Scire etiam debet, quæ efficere debeat ad recipiendum cum fructu hoc Sacramentum, scilicet praemittere confessioni examen, dolere ex motivo supernaturali, cum proposito non peccandi, &c.: Debet etiam crasso saltem modo Symbolum scire, & Orationem Dominicam, necnon præcepta Decalogi, & Ecclesiae, non quidem memoriter,

sed ita ut possit interrogationibus circa illa apte respondere. Quod si hæc nesciat, putat Barbofa cum aliis, absolvi non posse; sed probabilius absolvi potest, dummodo de culpabili negligentia doleat, & proponat ea statim addiscere saltem a Parochis, qui proprias oves, sicut parentes filios, instruere tenentur, sive per se, sive per alios.

IV. Quæritur tertio; An teneatur confessarius ignorantiam poenitentis amovere, sive ea sit facti, sive juris, circa aliquod peccatum?

Respondeo, ex Lug. disp. 22. sect. 2., Sanch., Suar., Tambur. lib. 3. cap. 4. §. 1., & aliis, quod si ignorantia sit graviter culpabilis, teneatur confessarius illam amovere; quia aliter poenitens est indispositus. Quod si sit inculpabilis, regula generalis est, quod sit consulendum bono poenitenti; Quare si speratur, quod poenitens advertens, verbi gratia, matrimonium esse invalidum, aut contractum, quem putat justum, esse injustum, &c., sublaturus sit ea peccata materialia, teneatur confessarius ignorantiam decere propter bonum poenitentis, ne sic contra legem Dei peccet etiam materialiter: Quod si non speretur profectus, sed potius timeatur, quod peccatum materiale deinceps sit futurum peccatum formale; Verbi gratia, si sciens matrimonium esse invalidum, non facile tunc abstineret a cognoscenda illa, quam conjugem putabat, in tali casu ignorantia non est amovenda, juxta illud August. in Cap. Si quis autem, de Poenitentia dist. 7. cap. 5. Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, nec teerrerem. Idemque docet Tambur. ex Pelliz., quando quis bona fide est in occasione proxima, nec speratur emendatio; vel quando quis bona fide non restituit alienum; Etenim revelatio veritatis noceret poenitenti, si deinde cum culpa formali

Remaneret in occasione proxima, aut retineret alienum; Nec hoc prodesset ei, cui alienum restituendum est, quia supponimus non dari spem, quod restitueretur, si bona fides illi tollatur.

Quod si confessarius a pœnitente de iis interrogetur ad sedandos conscientiae scrupulos, procul dubio tenetur confessarius veritatem aperire, ne suo silentio errorem approbet. Advertendum tamen, quod veritatem aperire debet solum quantum satis est ad interrogationem, quando, si ulterius procedatur, non speratur profectus pœnitentis: Verbi gratia, si Petrus roget, an matrimonium contractum post votum simplex castitatis sit validum, & an possit, ac teneatur reddere debitum; respondere debet, quod sit validum, & quod teneatur reddere, tacendo tamen obligationem non petendi debitum, si non speratur fore, ut ille a petendo absteineat.

V. Quod si confessarius dubitet, an admonitio sit profutura, tunc comparet utilitatem, quæ speratur, cum damno, quod timetur, & juxta illud, quod videtur præponderare, profequatur. Ita Filiuc. tract. 28. num. 135. Lug. a num. 21.

VI. Rogabis hic: Si Berta, quæ contraxit matrimonium invalide, putet invincibiliter verum esse suum matrimonium, & accuset se in confessione, quod debitum negarit Titio putato conjugi; debetne confessarius dicere, quod debitum reddat?

Respondeo cum Sauch., Lug., & aliis communiter, quod si confessarius aperiendo invaliditatem matrimonii non speret moraliter profectum pœnitentis, sed potius timeat ejus ruinam, dicere possit, quod teneatur reddere debitum; quia vere tenetur reddere, quousque putat Titium esse suum conjugem; Unde ista materialis fornicatio esset formaliter actus conjugalis.

Pars VI.

Advertendum tamen, non facile judicandum pœnitentem non esse satisfacturum suæ obligationi post notitiam veritatis, nec profuturam esse confessarii admonitionem: Quare universim tenetur confessarius monere pœnitentem, primo de obligatione, quam habet, restituendi famam, aut rem alienam; secundo de obligatione corrigendi fraterne proximum; tertio, tollendi occasiones proximas; quarto, adeundi Superiorem pro reservatis; quinto, denunciandi eos, quos debet, Sanctæ Inquisitioni, vel alteri Tribunali: Ex constitutione enim Gregorii XV. tenentur confessarii monere pœnitentes, quos noverint ab aliis sollicitatos esse in actu Sacramentalis confessionis, de obligatione eos denunciandi Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis; sicut etiam suspectos de hæresi tenetur quilibet denunciare.

VII. Quæritur quarto; Quam obligationem habeant confessarii monendi pœnitentes, ut Sanctæ Inquisitioni denuncient confessarium sollicitantem, & sub quibus pœnis?

Respondeo, Gregorium XV. post Pium IV., & Paulum V. statuisse per hæc verba: *Quod Sacerdotes ad inhonestam, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel præteritu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel procurare tentaverint, aut cum iis illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquisitionis deferantur.* Deinde adduntur gravissima pœnæ confessariis sollicitantibus infligendæ, ac intimatur confessariis præceptum monendi pœnitentes de hac ob-

X liga-

ligatione denunciandi, & praecipitur illis, ut non absolvant poenitentem, antequam denunciaret; Quod tamen intelligendum, dummodo possit poenitens intra breve tempus denunciare. In Edicto pariter poenitentibus praecipitur, ut ante sex dies post sollicitationem denuncient; Hic tamen non est terminus obligationis, sed executionis, ut patet.

Adverte hic primo, Pontificem loqui solum de sollicitatione ad turpia, non vero ad quodcumque aliud crimen.

Secundo, si confessorius tradat poenitenti chartam sollicitationis domi legendam etiam est denunciandus, ut definiit Alex. VII. proscribendo sextam Thesim, quicquid prius in contrarium dixerint Pal., & Hurt.

Tertio, non esse ex vi hujus Bullae denunciandum laicum fingentem se confessorium, & sollicitantem; quia Bulla loquitur de Sacerdotibus; ut notat Dian. part. 1. tract. 4. resol. 16.: Immo neque Sacerdotem non habentem jurisdictionem, ut notat Leand. ex Hurt.; quia Bulla loquitur de Sacerdotibus confessoribus: Neque est denunciandus interpret confessionis, nec mandans confessorio, ut sollicitet poenitentem. Verum, ut notat Hurt., quamvis isti non sint denunciandi ex vi hujus Bullae, sunt tamen denunciandi ex vi Edicti Inquisitionis, tamquam suspecti de fide, cum abutantur Sacramento.

Quarto, neque esse denunciandum confessorium, qui dixit foeminae, ut se tali hora ad confessionem audiendam domi vocaret, & deinde domi citra ullam simulationem confessionis inhonestos sermones haberet. Ita communiter contra Fagund., & Sancium; quia praetextus confessionis, de quo loquitur Bulla, debet esse proximus, non remotus a loco, & statu confessionis. Utrum autem denunciandus

fit, qui sedens in confessionario, & loquens cum foemina stante, aut sedente juxta illud, illam sollicitet? Negat Leand. quaest. 30. cum Fagund. Palao, Soufa, Lezana, Freitas, & aliis apud Dian. part. 4. tract. 5. resol. 38., quia Bulla requirit simulationem confessionis, quae tunc habetur, quando poenitens flexis genibus, vel aliter apparet aliis, quod confiteatur: Ac dicendum verius cum Peyrino, & Diana loco laudato esse denunciandum, ex quodam decreto S. Congregationis 1614., in quo ad hunc denunciandum non requirit, quod simuletur confessio, prout videtur requiri a Bulla Greg. XV.

Ubi notandum, quod si foemina non facile possit Inquisitorem adire ad denunciandum, confessorius monere illam potest, ut suo Parocho extra confessionem referat obligationem, quam habet, denunciandi sollicitantem, ut ipse videat, quomodo denunciatio fieri possit. Dixi, extra confessionem, quia nullatenus tenetur in denunciatione aperire ullum peccatum proprium, sed solum peccatum sollicitantis.

VIII. Quinto, Poenitentem excusari a denunciando Confessorio sollicitante, primo juxta nonnullos, si ipse prius sollicitaverit, & Confessorius confenserit, ut docet Leand. cum aliis: Sed opposita sententia tenenda est, quia confessorius vere deliquit: Secundo, si Confessorius sit jam emendatus, nisi aliter praecipiat. Ita probabiliter Leand., Pal., & alii; quia finis denunciationis est emendatio; Censetur autem Confessorius sollicitans jam emendatus, si per triennium bene vixerit, juxta Sancium, Riccium, & alios plures, vel si ad Sacramentum poenitentiae accessit post sollicitationem, juxta Filliuc.; vel si consecutus sit jubilaeum, juxta Genuens.; vel juxta Dian., si mulier sollicitata ter, vel

vel quater ad eundem rediens, nulum in eo libidinosum animum, nec signa turpia reperit: Hæc tamen non videntur sufficere, nisi ex aliis etiam adjunctis constet de emendatione. Tertio, si Confessarius sit mortuus. Quarto, si Confessarius ab aliis accusatus, & convictus jam abjuravit. Quinto, si habeat pœnitens impotentiam physicam, vel moralem denunciandi; puta, si denunciando timeat prudenter aliquod grave damnum vite, vel famæ, vel bonorum sibi, vel suis consanguineis usque ad quartum gradum. Sexto, quando datur materiæ parvitas, puta, si Confessarius tantum laudavit fœminæ pulchritudinem, aut alio levi verbo, seu signo, seu factō indicavit amorem lascivum. Ita Pal., Portel., Hurt. Et ratio est, quia cum pœna sollicitantium sit gravis, culpa etiam in hoc genere debet esse gravis: In dubio tamen de materiæ hujus parvitate, debet attendi ad qualitatem fœminæ, nam quod non est iudicium sollicitationis respectu fœminæ nobilis, esset tale respectu mulierculæ, quæ facilius acquiescit; ut si donaret illi aliquid pretiosum, &c.

Ultimo advertendum, quod a denunciatione facienda non excuset, vel prætextus correctionis fraternæ præmittendæ, ut declaravit Alex. VII. in constitutione incipiente, *Licet*: vel consensus præstitus sollicitationi ab ipsa pœnitente, ut supra diximus contra Leand., quia scilicet ipsa per hoc, quod sollicitet, non dicitur complex criminis Confessarii, nec exponitur periculo infamationis, eo quod tali Confessario a pœnitente ipsa accusato nulla fides in hoc habeatur: Vel quod a Confessario pœnitens multa beneficia receperit, unde videatur esse ingrata, si illum accuset, ut putat Joannes Sancius; Nam Sacra Congregatio voluit hoc deleri ab operibus Sancii.

Demum confixa est ab Alex. VII. thesis illa septima dicens: *Modus evadendi obligationem denuncianda sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi*: Et ratio est, quia onus denunciandi non imponitur a Confessario, sed a Pontifice. Quare Confessarius solum tenetur de hac obligatione pœnitentem sollicitatum monere, (quamvis non teneatur illum monere adversum, se si ipse sollicitaverit) Quapropter si non moneat, metuens sibi grave damnum ex denunciatione, non proinde eximitur pœnitens ab onere denunciandi, ut patet.

IX. Quæritur quinto; An teneatur Confessarius subire aliquando onus pœnitentis, sive denunciandi aliquem, sive restituendi, sive corrigendi proximum, sive adeundi Superiorem pro absolutione a reservatis?

Respondeo, universim non teneri, ut docet Suar. disp. 34. sect. 4., Tambur. cap. 9. §. 4., Sanch., & alii; Imo nec expedire, nisi quando obligat ipsa charitas, ut fiat id, ad quod tenetur pœnitens, qui non possit id per alium præstare, quam per ipsum Confessarium, a quo sine magno incommodo præstari possit; ut si debeat proximus corrigi, vel malum imminens Reipublicæ revelari: Quare si pœnitens non possit restituere famam, aut alienum æs, nec per se, nec per alium, qui velit tale onus subire, excusatur a restitutione hic, & nunc facienda; Nec tenetur Confessarius hoc onus acceptare, nisi restitutio fieri debeat graviter indigenti, ut idem Tambur. docet, ex Sanch., Suar., Palao. Nec tenetur Confessarius denunciare aliquem loco pœnitentis, qui sine gravi incommodo id præstare non potest; nisi quando, ut diximus, bonum publicum periclitetur. Nec demum tenetur adire Superiorem pro

absolutione a reservatis. Et ratio est, quia in gravi periculo mortis, & in impedimento perpetuo pœnitentis casus non est reservatus; Quando vero impedimentum est temporale, ut si urgeat necessitas communionis, aut ponendi se in statu gratiæ, nec possit pœnitens hic, & nunc Superiorem adire, potest absolvi a reservatis indirecte, quin teneatur pœnitens Superiorem adire per procuratorem, aut per literas, aut per ipsum Confessarium; poterit tamen hic aliquando ex charitate id facere, ut consulat bono pœnitentis, quem videt ægre ferre onus, quod habet.

X. Quaritur sexto; Quid facere debeat Confessarius, si in absolvendo erravit?

Respondeo, ex Lug. disp. 22. sect. 3., tripliciter posse errorem contingere; Primo circa valorem Sacramenti; ut si absolvit sine jurisdictione, sine intentione, aut sine dispositione pœnitentis; Secundo circa ea, quæ sunt in damnum tertii; ut deobligando aliquem a restitutione, vel obligando eum, qui non tenetur restituere; Tertio, circa ea, quæ neque pertinent ad valorem Sacramenti, neque sunt in damnum tertii; ut si omisit interrogare speciem, aut numerum peccati, aut reliquit pœnitentem in occasione proxima, &c. Rursus huiusmodi errores dupliciter committi possunt a Confessario, vel bona fide, seu sine culpa saltem gravi, vel mala fide, seu scienter, & cum gravi culpa. His præsuppositis

Dico primo; errores primi generis tenetur Confessarius corrigere, etiam cum gravi incommodo, & rubore, admonendo de eo pœnitentem ignarum, sic exposcente damno tertii a se illato; si tamen mala fide talem errorem commisit. Quod si bona fide, tunc vel pœnitens est in gravi periculo, ne amplius consistatur, vel

non; Si primum, tenetur Confessarius cum incommodo, & rubore errorem corrigere, ne pœnitens sine Sacramento decedat; si secundum, ad nihil tenebitur, quia pœnitens in altera confessione absolvetur indirecte ab iis peccatis non legitime absolutis. Quare propter incommodum, & ruborem, quem subiret Confessarius, excusatur ab obligatione admonendi pœnitentem, ut satisfaciat legi Dei de subdendis omnibus peccatis directe clavibus; si tamen error fuit circa absolutionem a censuris, hæc conferri potest absentis.

Ubi advertite, quod petenda prius sit venia a pœnitente, antequam cum illo Confessarius loquatur de tali errore; quam si neget, non tenebitur Confessarius illum monere, quia frangeret sigillum, ut docet cum communi Dian. part. 5. tract. 11. resol. 18. contra Suar. disp. 33. sect. 5., & Filliuc.: Quod si pœnitens redeat ad confessionem, tunc libere potest Confessarius cum illo loqui de priori defectu, etiam si bona fide commisso; quia perficit, quæ jam inchoata remanserant in alia confessione; Immo ex Lug. loc. citat. num. 77. debet; quia non adest rubor, nec incommodum, quod excuset Confessarium a procuranda integritate illius confessionis.

Dico secundo; Errores cum damno tertii, si mala fide Confessarius commisit, (vel positive deobligando a restitutione eum, qui tenetur restituere, vel positive obligando ad restitutionem, qui non tenetur) debet emendare, monendo pœnitentem, etiam cum gravi incommodo; Et in defectum pœnitentis, qui vel non possit moneri, vel non possit amplius restituere, tenetur Confessarius resarcire de proprio; quia actione sua injusta fuit causa talis damni. Si vero tantum mala fide omisit obligare ad resti-

restitutionem, quem debebat obligare, peccavit tantum contra charitatem; unde non tenetur restituere de proprio in defectum pœnitentis; quia Confessarius ex proprio munere non tenetur procurare bonum temporale aliorum, sed bonum spirituale pœnitentis.

Quod si huiusmodi errores bona fide commisit, Lug. putat, ex charitate teneri ad monendum pœnitentem cum aliquo incommodo, quamvis non cum tanto, quanto si mala fide processisset. Alii addunt teneri aliquo modo etiam ex iustitia, ita ut si non faciat, teneatur ad restitutionem; sicuti si quis inculpabiliter incendit domum Petri, tenetur ex iustitia ignem extinguere, si possit sine magno incommodo, quamvis alius, qui non incendit, teneatur solum ex charitate.

Dico tertio; Errores tertii generis, si bona fide committantur (verbi gratia, non obligando pœnitentem exprimere numerum peccatorum) Confessarius non tenetur corrigere, sed Deo commendat; quia iudicium est finitum, & tantum materialiter pœnitens non observat legem de integritate Confessionis; non tenetur autem Confessarius cum gravi incommodo procurare, ne pœnitens materialiter transgrediatur legem Dei: sicuti si videam aliquem die festo laborantem, eo quod putet, diem illum esse feriatum, non teneor illum monere cum gravi incommodo: Censetur autem grave incommodum Confessarii dicere cum rubore pœnitenti, se errasse, dum non monuit illum de sua obligatione manifestandi numerum peccatorum; Si vero bona fide non solum non obligavit, sed positive deobligavit pœnitentem, Filliuc. docet, non teneri illum monere; quia id fieri non potest sine gravi incommodo, & rubore; Lug. ait, raro ad id teneri;

quia raro fieri potest sine gravi incommodo; Quod si bona fide vel non obligavit, vel deobligavit pœnitentem relinquere occasionem proximam, tenetur ex lege charitatis monere cum aliquo incommodo, ut scandalum vitet; sicuti etiam si ex taciturnitate Confessarii sequatur aliquod malum publicum; Verbi gratia, si Parochus invincibiliter erret circa bonos mores, putando, verbi gratia, fornicationem esse licitam, quod in malum publicum verteretur. Si tamen mala fide huiusmodi errores committantur, procul dubio tenetur Confessarius diligentiam moralem adhibere, ut pœnitentem admoneat, ex Lug. num. 43.; quia in tali casu censetur Confessarius esse causa moralis transgressionis divinae legis, esto materialis tantum sit in pœnitente ea transgressio.

XI. Quæritur ultimo; Quinam Confessarii teneantur Confessiones audire, & quando?

Respondeo, aliquos teneri ex iustitia, & ex officio, ut Parochus; alios vero ex charitate, ut alii, qui non sunt pastores proprii.

Dubium itaque est primo; quando nam Parochus teneatur suis subditis administrare Sacramentum pœnitentiae?

Respondeo, Medin., & Sylvest. V. *confessio*, existimare, tunc solum ad id teneri Parochum, quando subditus tenetur confiteri, videlicet semel in anno; quia per hoc sufficienter satisfacit necessitatibus subditi, atque adeo muneri suo. Verum communis sententia cum Vasq., Suar., Azor., & aliis apud Lug. disp. 22. sect. 1. docet, Parochum teneri frequentius audire subditos, si confiteri velint; Non enim satisfacit officio Pastoris spiritualis, si solum in extremis necessitatibus provideat ovibus suis: Præterquamquod jus habent fideles ad Sacramentum

tum poenitentiae recipiendum juxta Christi Domini institutionem, quae non solum fuit, ut in extremis necessitatibus sibi subveniant, sed etiam, ut alias in peccatum lapsi Deo reconcilientur, & usu Sacramentorum suum spiritualem profectum procurent; proinde tenentur Pastores proprii pluries in anno illud administrare ovis suis, si petatur.

Quoties autem in anno teneatur Parochus? non potest certa mensura assignari: attendendum enim est tum necessitati poenitentis, qui quando post commissum mortale recurrit ad medicum, non est regulariter rejiciendus; tum etiam ad fructum, quem ex confessione percipit poenitens; si enim videat Parochus, quod frequens confiteatur sine ulla emendatione, potest etiam a tam frequenti confessione repellere; tum denum ad gravamen ipsius Parochi; praesertim si tantam ovium multitudinem habeat, ut teneatur alias deferere, uni liberalius serviturus; Unde si in tali casu aliquando subditum repellat, non propterea damnandus erit peccati mortalis; Nec si semel, aut iterum neget, aut distinet audire confessionem ob levitatem materiae; quicquid in contrarium sentiat Bonac.; dummodo dilatio non sit nimia, neque gravis alia causa urgeat, verbi gratia, gravis tentatio poenitentis, occasio Jubilaei, longum iter aggrediendum, &c.: Ubi advertit non semper teneri Parochum per se ipsum subditos audire; satisfacit enim suo muneri, si de alio apto Confessario iis provideat, ni-

si ex speciali aliqua ratione debeat ipse illos audire. Ita Lug. loc. citat. cum aliis.

Dubium est secundo, An Confessarii, qui non sunt proprii Pastores, sed voluntarii, in extrema solummodo, an etiam in gravi necessitate teneantur aliorum Confessiones audire?

Respondeo, peccatorem esse in extrema necessitate Confessionis, quando ignorat actum contritionis, aut non potest illum amplius elicere; esse vero in gravi necessitate, quando difficulter potest actum contritionis elicere, & confessionem petit. Certe in extrema necessitate tenetur quilibet Confessarius ex charitate, & Parochus etiam ex justitia, cum periculo vitae, si opus sit, confessionem audire. Ita communiter Doctores apud Lug. loc. citat. ex illo Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animam pro fratribus ponere.*

In gravi vero necessitate tenetur quidem Pastor, ut docent communiter Doctores apud eundem Lug., sed probabiliter non tenentur alii Confessarii cum periculo vitae, quia cum proximus meus possit se sine meo auxilio a periculo liberare, non teneor illi cum tanto meo incommodo subvenire. Excipitur tamen ex Lug. necessitas gravis totius communitatis, verbi gratia, peste grassante; tum quia in tali necessitate vix accidit, quod nullus sit in necessitate extrema; tum etiam, quia bonum commune praesertim debet bono privato.